

Hermann Heltberg    Johannes Sternbergius


## **Exercitationum Logicarum XIII. De Syllogismis Seu Argumentationibus Imperfectis**

Rostochi[i]: Myliandrus, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn72911564X>

Druck    Freier  Zugang







51

R. U. phil. 1609. 10.


12 gfl.

35 1717











76108  
15

*Annunte & Benedicente Domino*  
Exercitationum Logicarum  
XIII.  
DE  
SYLLOGISMIS SEU  
ARGUMENTATIONIBVS  
IMPERFECTIS.

*In Inclusâ Rosarum Academiâ*  
*Sub Præside*  
M. HERMANNO HELTBERGIO  
Walsrodâ - Lunæburgico,

à  
JOHANNE STERNBERGIO,  
*Neobrandenburg. Megap.*  
*ad examinandum exhibita.*


Ad diem XXIIIX. Martij, Horis  
locoq; solitis.

---

Rostochl

*Typis Myliandrinis, Anno c1o 1o X.*





AMPLISSIMIS, DOCTRINA,  
PIETATE, VSU RERVM, ALIARVMq̄,  
*virtutum ornamentis florentissimis Viris, inclytæ  
Reipub. Neobrandenburgensis, Consuli-  
bus ac Dominis,*

Dn. Georgio Bitcovio.

Dn. Georgio Bohemo.

Dn. Hermanno Weyero.

Dn. Joachimo Thomstorphio.

NEC NON.

Reliquis ejusdem Politix Humanissimis &  
Ornatissimis Senatoribus membrisque  
Spectatissimis, &c.

*Dominis, fautoribus, & promotoribus meis singulariter  
colendis, & perpetuo amore prosequendis,*

*Hanc αυτην Logicam in grati animi ευχησιν  
& observantia ευνημοδωτων, tanquam stu-  
diorum primitias,*

*demisse consecro & offero.*

Johannes Sternbergius

N. M. Respondens.



## Prooemium.

**D**istinxiimus exercitatione nostrâ Logicâ abhinc secundâ argumentationem seu syllogismum in perfectum & imperfectum, & perfectum diximus esse eum, qui ex duabus propositionibus & conclusione secundum artem Logicam, & tribus terminis legitime dispositis, constat: Imperfectum verò diximus eum, cui vel aliqua propositio, vel aliquid aliud quod eidem adesse debeat, deest. Diximus etiam eos solum syllogismos esse perfectos, quorum partes secundum præcepta in tribus figuris tradita, dispositæ & collocatæ sunt. Ubi figuræ ipsius seu collocationis terminorum, & deinde modi seu dispositionis, quia in ijs totius rei cardo versabatur, potissimam curam & rationem habendam esse monuimus, atque ijs benè pertractatis & propositis, doctrinam syllogismorum perfectorum, satis declaratam & expositam esse. Sed quia Physici non solum de animalibus perfectioribus verum etiam de imperfectioribus, priorum contemplatione finita, si finem & scopum suum respicere & attendere volunt, agere & præcipere tenentur: ita etiam nobis de argumentationibus seu syllogismis imperfectis, quia perfectiorum doctrinam absolvimus, erit agendum.

### Theorema Primum.

Syllogismi imperfecti sunt qui ex paucioribus, vel pluribus quàm duabus propositioni-

A 2

sitioni-

*imperfectis  
sij tlyg.*

*Perfecti sij tlyg.*



sitionibus & tribus terminis legitimè dispositis, conclusionem inferunt.

Nos non istis ordinem in eodem quod affectiones perfectas & negligimus & aggredimur syllogos imperfectos. Rationes 1. & 2.

I. Non incedimus eâ viâ in declarando syllogismo quâ Philosophorum princeps Aristoteles. Ille enim in libro 1 prior: Analyt. de forma syllogismi agit, & deinde in secundo lib. prior: Analyt. quasdam affectiones ipsum syllogismum in bonâ formâ & essentia sua plenâ efformatis, consequentes, contempletur, standè ad imperfectas argumentationes seu syllogismos explicandos & declarandos progreditur. Nos verò per actus & absolutis syllogismis perfectis in dispositione trium figurarum consistentibus, statim ad syllogismos imperfectos, ut ex ordine disputationum nostrarum facile est colligere, neglectis affectionibus syllogismorum perfectorum, progredimur. Ad defendendum autem hunc nostrum ordinem ab Aristotelis ordine alienum, duas potissimum adducimus rationes, prima est, nos non velle omnia Logica instrumenta tam copiosè & prolixè, uti ab Aristotele factum videmus, persequi & declarare. Cum nostri potius sit instituti, ea omnia quæ Aristoteles prolixa & copiosa quadam disciplina & scientia est complexus, parvo quodam compendio & discursu comprehendere & declarare. Alteram rationem dicimus esse eam, quod videlicet ad exemplum plerorumq; qui compendia Aristotelici organi edere voluerunt, tam breviter & compendiosè hac tractemus. Nam videmus multos imò plerosq; harum affectionum tractationem, quia potius jucunditatis quam utilitatis erat, omisisse, & tali ordine quo nos utimur, usos antehac fuisse.

II. Hoc ita predicto ad definitionem syllogismi imperfecti in theoremate nostro propositam declarandam properamus. Pro hujus itaq; declaratione notetur syllogismi in hac parte Logices considerati principia constitui duplicia, vel materialia vel formalia. Materialia syllogismi principia sunt tres termini in propositioni-

principia hujus syllogismi duplicia sunt.

hæc præter ad præmissam hujus, quæ quatuor terminis habet, & est homonymia in aliquo obto. hoc vel illud est ita accipiendum.

Materialia



Major & minor  
in q<sup>st</sup>ione.

Form:

bus duabus contenti, videlicet major, minor & medius: formalia verò principia propositionum & terminorum legitima collocatione & dispositione que in figura & modis consistit, vulgò veniunt, atq; ita materialia principia syllogismi nihil aliud sunt quam termini simplices: formalia verò ipsorum terminorum legitima collocationes. Notetur etiam & hoc principia syllogismi materialia vel esse remota vel proxima: remota sunt termini simplices: proxima verò propositiones ex terminis simplicibus composita: Notetur deniq; & hoc syllogismum perfectum eum esse, qui constat ex partibus seu principijs (principiorum & partium nomen hic pro uno eodemq; sumimus) remotis tribus, id est tribus simplicibus terminis, & proximis duobus id est duabus propositionibus, secundum præcepta in figuris & modis syllogismorum proposita, collocatis & coordinatis, atq; sic illi syllogismi qui pluribus terminis vel paucioribus quàm tribus, & pluribus vel paucioribus propositionibus quàm duabus constant & non secundum præcepta in figuris & modis syllogismorum dispositi sunt, erunt imperfecti. Nec scrupulum vobis injiciat generis in definitione nostrâ omisio videlicet orationis. Notum enim est omnem syllogismum sive perfectum sive imperfectum orationem, id est discursum animi vel intellectus humani esse. Differentia specifica hujus definitionis innuitur reliquis verbis, quod videlicet hi syllogismi vel ex pluribus vel ex paucioribus propositionibus conclusionem inferant, ad differentiam perfectorum syllogismorum, qui saltem ex duabus præmissis conclusionem efficiunt & efformant. Exemplum hujus rei adducimus tale: Quod bonum est, illud expetendum est: quod expetendum est, illud placet: quod placet, illud diligendum est: Quod diligendum est, illud probandum est: quod probandum est, illud laudabile est: quod laudabile est, illud honestum est: E. quod bonum est, illud honestum est. Hic non ex tribus terminis, & duabus propositionibus secundum præcepta figurarum & modorum dispositis con-

Remota  
Proxima

Materialia prin-  
cipia & terminis  
& simplicia

Syllog. Perfectus.

Imperfectus Syllog.

Genus est syllog. imperfecti  
Syllog. ut et perfecti  
Oratio.

Altra Specifica.

Hic ex pluribus.



sequitur conclusio. Non enim hic medius terminus est vel subje-  
ctum in majore & predicatum in minore, vel predicatum & in  
majore & minore vel subjectum in majore & minore, ut in tribus  
figuris syllogismorum accidit, propositionibus, sed ex pluribus ter-  
minis & propositionibus conclusio & complexio inferitur. Erit itaq;  
hic syllogismus quia pluribus quàm tribus terminis, & duabus  
propositionibus constat, & non secundum precepta figurarum  
est dispositus imperfectus. Syllogismi v. ex paucioribus quàm duabus  
propositionibus, & tribus terminis conclusionem inferentis exemplum  
sit tale: Homo est. E. animal est: Hic, ut videtis, non ex  
propositionibus duabus, & terminis tribus, sed una propositione,  
& duobus terminis inferitur conclusio. Nec termini & partes or-  
dine syllogistico in doctrina figurarum propositio, sunt collocata &  
disposita Regius Disputat. Logicar. lib. 4. probl. 9. Gre-  
gorius Horit. Institut. Logicar. lib. 1. tract. 4. cap. 16.

hic expansione  
69 dat. syllog.

### Theorema Secundum

Imperfecti syllogismi vulgò numeran-  
tur sex: Inductio, exemplum, Enthymema,  
Sorites, Dilemma, & Syllogismus hypo-  
theticus.

Hic patet  
Circulatio  
Expositio

I. Methodi lex est, prius ipsam rem, & deinde quotuplex ea-  
dem sit investigandum esse. Nos in primo sc: rem, id est syllogis-  
mos imperfectos quoad definitionem & essentiam cognoscendo in  
theoremate anteriori nostrum studium posuimus, de altero itaq; sc.  
quotuplex ea sit, id est quotuplex syllogismus imperfectus, seu quot  
syllogismi imperfecti sint, erit hoc in theoremate discurrendum &  
inquirendum. Dicimus ideoq; in Thesi nostra sex vulgò numera-  
ri syllogismi imperfecti species. Non autem negamus plures syl-  
logismi

Sextuplex im-  
primis.



*in disp.*  
Logismi imperfecti species posse confici & effingi, videlicet abdu-  
ctionem, violationem, instantiam & his similes. Matth. Flac.  
Logici general. lib 6. cap. 20. Sed nos quia vulgarem in  
his tractandis ordinem observamus, merito etiam alias si prater  
has sex plures dentur, omittimus, & copiosorem harum argu-  
mentationum tractationem in alium locum commodiorem re-  
jicimus. Nam nec ipse Aristoteles has species omnes, ut ex ipsius  
organo manifestum est pertractavit. Nec moveat quenquam  
quod alio ordine, has argumentationes posuerimus, quam Flacius,  
& alij Logici quamplurimi. Cuilibet n. de his ordine sibi accommo-  
dato negligat modò nihil eorum qua ad earundem naturam spe-  
ctant declarandam, agere & precipere liberum & integrum esse  
nulla ratione dubitamus. Contemplabimur itaq, has species eo  
quo in theoremate enarratae sunt ordine in subsequentibus, omnes.

### Theorem Tertium.

Inductio est syllogismus imperfectus, in  
quo ex singularium collectione & Enumera-  
tione, universale inferitur. Exemplum est  
syllogismus imperfectus, in quo ex uno sin-  
gulari, propter similitudinem in duobus ap-  
parentem, alterum singulare inferitur.

*Inductio.*

*Exemplum.*

I. De numero argumentationum imperfectarum precedenti in  
theoremate egimus, jam ergò, & in subsequentibus theoremati-  
bus de singulis in specie erit agendum. De duabus autem argu-  
mentationibus in hoc theoremate agemus, inductione videlicet &  
exemplo, & utriusq, naturam per definitiones & exempla inve-  
stigabimus. Dicimus ideoq, inductionem esse syllogismum imper-  
fectum.



Explanatio q. inductio sit imperfecta  
ut syllog.

Perfecta & affirmativa  
inductionis ex plon.

inductio est perfecta vel imperfecta.

fectum, de quo genere neminem dubitaturum speramus, siquidem in primo theoremate satis evidentèr quid syllogismus perfectus & imperfectus sit, est declaratum. Et quia inductio præcepta & requisita de perfectis syllogismis in se suscipere & secundum eadem disponi nequit, utiq; hac ratione imperfecta argumentatio erit. Sit ideoq; inductionis genus syllogismus, differentia verò specifica quod sit syllogismus imperfectus. Reliqua verò verba ad differentiam & definitionem inductionis declarandam, & eam à reliquis argumentationibus imperfectis discernendam faciunt. Dicimus autem in definitione nostra quod inductio sit talis argumentandi formula in qua ex singularibus enumeratis, universale aliquod infertur, pro quibus verbis declarandis argumentationem ponimus talem: Abraham fuit electus & salvatus: Isaac fuit electus & salvatus: Jacob fuit electus & salvatus: David, Petrus, Paulus, Jacobus, fuerunt electi & salvati. & contrarium exemplum potest dari nullum. Ergo omnes Electi sunt salvati. Hic non ex tribus solum terminis, & duabus propositionibus sed pluribus, conclusio infertur, nec huius syllogismi partes secundum præcepta de figuris & modis, superius tradita, sunt disposita. Erit ideoq; inductio syllogismus imperfectus. Procedit etiam hac argumentatio à singularibus seu individuis, ad universalis. Propositum enim nobis fuit in hoc syllogismo, omnes Electos salvari, demonstrare & probare: Hoc ergo per singularia & individua humana qua tali modo salvati sunt, est probandum. Adducimus ideoq; Abrahamum, Isaacum, Jacob, Davidem patriarchas, Petrum, Andream, & alios Apostolos qui sunt hac ratione salvati, & deniq; addimus nullum exemplum posse adferri contrarium. Ex quo deinde, postquam inductio singularium, id est, Enumeratio omnium hominum tali modo salvatorum facta est, firmiter omnes Electos salvari, concludimus. Dividunt deinde inductionem in perfectam & imperfectam: Perfecta est, in qua ex enumeratione omnium singularium, nullo omisso, universale infertur: imperfecta

Genus syllogismi  
est  
diff. specij

Ne sit  
7. 2.

Perfecta



*Impers.* Imperfecta verò in quâ non ex omnibus sed quibusdam conclusio  
*Affirm.* infertur. Dividitur deinde etiam in affirmativam & negati-  
*Negat.* vam. Affirmativa est quando specierum affirmativa fit enume-  
 ratio: Negativa verò quando species negativè enumerantur.  
 Perfecta & affirmativè inductionis exemplum habuimus in  
 mox precedenti syllogismo imperfecta & negativè inductionis  
 exemplum exhibemus tale: *Jacobus non habet quatuor pedes,*  
*Henricus non habet quatuor pedes, Andreas non habet quatuor*  
*pedes, Johannes non habet quatuor pedes. E. nullus hominum*  
*habet quatuor pedes.* Hic exhibuimus exemplum inductionis  
 negativæ & imperfectæ, quia non omnia singularia humana, sed  
 saltem quedam ad probandum conclusionem universalem indu-  
 cuntur, id est afferuntur. Proponitur etiam singularium enu-  
 meratio negativæ, qua inductionem efficit negativam. Matth.  
 Flac. Logicæ general: lib. 6. cap. 21. Jacob. Mart: Logi-  
 cæ peripat. lib. I Sect. 3. cap. 13.

II. Primo membro theorematis nostri quod de inductione agit,  
 absoluto, ad alterum quod de exemplo agit erit descendendum. Di-  
 cimus autem quod exemplum sit syllogismus imperfectus, ex uno  
 singulari propter similitudinem aliquam in duobus eminentem,  
 alterum singulare inferens. De cujus genere & differentia eodem  
 modo quo de prioris inductionis sc. dicebatur, dicendum & cogi-  
 tandum. His itaq; duobus tanquam manifestis relictis ad reliqua  
 in definitione verba explicanda convertimur. Dicimus ideoq;  
 in theoremate nostro quod exemplum sit talis argumentandi  
 formula, in quâ ex uno singulari propter aliquam similitudinem,  
 aliud singulare inferatur. Ubi notetur illa verba partim ad de-  
 clarandam exempli essentiam, partim a. eam à reliquis argumen-  
 tationibus distinguendum facere & nobis inservire. Nam distin-  
 guitur hac ratione exemplum, ab inductione quod illud à singula-  
 ribus ad ad singulare, hæc vero à singularibus ad universalia pro-  
 grediatnr. Ad essentiam eius declarandam faciunt hæc verba,  
 B dum

Inductio imperfecta  
 affirmativa  
 vel Negativa

Imperfecta & negativæ  
 Inductionis exemplum

Exemplum evidens

genus & affirm.



Explūm Exempla  
à singularibz ad sin-  
gulare

dum eius naturam aliquatenus nobis adumbrant, ut in sequenti  
patebit exemplo: Sodomitæ malè perierunt, quia magni  
peccatores erant & non agebant pœnitentiam, E. & Roma-  
ni, quia peccatores sunt, & non agent pœnitentiam malè peri-  
bunt. Videtis hîc ab uno singulari ad probandum alterum sin-  
gulare propter similitudinem aliquam in utroq; apparantem, pro-  
gressum fieri, & unum ad exemplum alterius inferri. Sic quan-  
dò dicimus Deus non pepercit Judæ, peccatorum pœnitentiam ve-  
ram non agenti: E. etiam tibi vel mihi pœnitentiam non agen-  
tibus non parcat. Sic multis alijs exemplis hanc argumen-  
tationis speciem, nisi Poëtis & Oratoribus eam potius quam philosophis  
sciremus familiarem, possemus declarare. Crell. Logic: com-  
mun: part: lib: 3. cap. 21. Francisc: Titelman: logic.  
lib. 4. cap. 36. Regius Disputat: Logic: lib 4. probl: 9.  
Gregorius Horst: lib. 1. Instit: logic: tract4. cap: 17.

### Theorema Quartum.

Enthymema

Enthymema est Syllogismus imperfe-  
ctus, in quo ex unâ saltem præmissarum al-  
terâ subintellecta, conclusio infertur. Sori-  
tes est syllogismus imperfectus, in quo præ-  
dicatum primæ propositionis, fit subiectum  
in secundâ, & prædicatum in secundâ, fit  
subiectum in tertia propositionibus, & ita  
deinceps donec tandem, ultimæ proportio-  
nis prædicatum, primæ propositionis sub-  
jecto attribuatur, & de eodem prædicetur.

Dilem-



Dilemma est argumentatio imperfecta, ab  
utraq; parte confundens adversarium.

I. Tres principales huius theorematis partes constituemus,  
quarum prima de Enthymemate, secunda de sorite, tertia de di-  
lemmate erit Actura. Antequam a. ad singula descendamus  
prius de generalibus quibusdā tribus capitibus ex aquo convenien-  
tibus, agemus sc: de genere & differentia specifica, qua communia  
habent. Agnoscunt autem ha tres argumentationes pro genere  
suo sylogismum, qui quid sit, & quotupliciter dividatur, in supe-  
rioribus dictum est. Differentia eorum est quod sint sylogismi  
imperfecti quā ratione à reliquis argumentationibus in figuris &  
modis dispositis, differunt & distinguuntur. His prædictis ad pri-  
mam theorematis partem, qua de Enthymemate, ager descendimus.  
Est verò Enthymema vox origine græca ab ἐνθύμημα quod  
cogito significat, quasi altera propositionum qua in syllogismo  
omittitur cogitetur, & menti investiganda & excogitanda relin-  
quatur. Crell: part. commun. Log: lib. 3. cap. 22. Regius  
disputat. Logic: lib. 4. probl: 9. Dicitur autem Enthyme-  
ma propterea syllogismus imperfectus, quia ex paucioribus quam  
duabus propositionibus conclusionem infert, ut in exemplo post-  
modum tradito demonstrabimus. Dicitur etiam Enthymema  
quod ex icotibus & signis, ut apud Aristotelem videre est, aliquid  
concludat & inferat. Eiusq; verò sunt efformata & pronuncia-  
ta in se probabilia & consentanea veritati, ut parentes diligunt  
liberos: signum verò est nota rei presentis, aut præterita, aut fu-  
tura. Exemplum Enthymematis ponimus tale: Lac habet illa  
mulier. E. pragnans est. Hic est syllogismus imperfectus, quia  
desideratur adhuc unica præmissarum videlicet major, qua ita  
se habet. Quæcumq; mulier lac habet est pragnans. Atqui illa  
mulier lac habet. E. Procedit etiam ex icotibus & signis, quia

Cenry.  
Offra.

Enthymema.

B 2

nota signa verisimilia semiplanum p. b. a. c. o.  
libr: 3. d. n. — vidi colloventem eum meo  
TKMTPA necia signa Phil: fol: 183 — Hæc mulier non potest nisi fieri  
pnerum & hæc est mater.



probabilis & verisimilis ratio & propositio est, mulieres lac habentes esse pregnantes, quia plerumq; hoc ita creditur, probatur & accidit. Marth. Flac. log. general: lib. 6. cap. 20. Tittelman. log. lib. 4. cap. 34. Crell: log. comun: lib. 3. cap. 22. Erunt itaq; omnes argumentationes vel syllogismi in quibus una praemissarum desideratur, & qui ex icotikus & signis procedunt & concludunt, Enthymemata, dicendi, ut, hic, Irvs est in caelo. Ergo pluet, diligenter studijs iurvigilat. E. aliquandò evadet in doctum virum & his similes.

Sorites.

Soritis exptm̄,

II Atq; ita absoluta prima theorematís parte de Enthymemate agente, ad alteram de sorite precipientem procedimus. Dicimus autem in thesi nostrâ quod sorites sit tale argumentationis genus, in quo predicatum in secunda Enunciatione fit subjectum in tertia, & ita deinceps donec tandem primo primæ propositionis subjecto, ultima propositionis predicatum adjungatur, cujus definitionis veritatem non melius quàm in exemplo sequenti demonstrare possumus. Omnis homo loquitur, omne loquens sentit, omne sentiens vivit, omne vivens movetur, Ergo omnis homo movetur. In hoc syllogismo predicatum primæ propositionis est loquitur & fit subjectum in secundâ sentit est predicatum in secunda Enunciatione, & fit subjectum in tertiâ, vivit est predicatum in tertiâ & fit subjectum in quartâ, & tandem homini subjecto primæ conceditur etiam subjecti locus ultimæ propositionis, de eorq; motus sive moveri, predicatum postrema Enunciationis predicatur & dicitur. Ex hæc intelligitur Soritem nihil aliud esse quàm syllogismum ex multis alijs syllogismis compositum & conflatum, ut in exemplo nostro proposito patet. Possumus enim syllogismum in eo propositum in tres syllogismos perfectos resolvere, eosq; ad primam figuram reducere, ut: Omne loquens sentit, Omnis homo loquitur. E. Omnis homo sentit. Omne sentiens vivit, omnis homo sentit. Ergo omnis homo vivit. Quicquid vivit, illud movetur, Omnis homo vivit; Ergo omnis homo move-



movetur. Notandum deniq; est hanc argumentandi formulam esse admodum imbecilem & infirmam, quia non superstructa est dicto de omni & nullo, sed quartam figuram aliquo modo imitatur, atq; sic ratione forma ferè nihil concludit, nisi forma illa certa alicui materia eiq; necessaria sit applicata. Nominanda est etiam hac syllogismi species propterea imperfecta, quia ex pluribus quam duabus propositionibus infert conclusionem, quod est contra naturam perfectorum syllogismorum. Faciliè tamen ad syllogismos perfectos, uti in exemplo supra posito monstravimus, reduci & revocari potest. Math. Flac. Logic. commun. lib. 6. cap. 20. Regius disputat. Logic. lib. 4. probl. 9. Gregor. Horit. Instit. Log. lib. 1. tract. 4. cap. 17.

III Absolutis & pertractatis duabus prioribus theorematibus nostri partibus, de Enthymemate & Sorite agentibus, de ultima qua de Dilemmate agit, restat, dicendum. Definimus autem dilemma argumentationem, ab utraq; parte confundens adversarium. Dilemmatis exemplum habemus in illo Christi Salvatoris dicto, quando ex Judæis quarit, an Baptisma Johannis ex caelo an verò ab hominibus ortum ducat? Hic ab utraq; parte confundebantur Adversarij Judæi. Nam si dixissent Johannis Baptisma esse ab hominibus recepta populi opinioni contradixissent: si verò ex DEO vel caelo dixissent, Christus poterat ipsos reprehendere, quod Deo non crederent. Atq; sic si unam, vel utramq; propositionem concessissent judæi, capti fuissent. Notandum deinde est in hac argumentatione ab ijs processum fieri, inter qua non datur aliquod medium, ut in hoc Christi, qui Baptisma aut ex caelo aut ab hominibus ortum trahere, inter qua duo nullum datur medium, ostendere volebat. Nam in ijs, inter qua aliquod medium existit & effingi potest, hac formula argumentandi locum non habet, nec eà adversarium nostrum confundere possumus, ut in illo; Quicumq; ducit uxorem aut ducit formosam aut deformem. Si formosam habebit communem, quod malum est, si

DILEMMA.

exptm Dilemma:  
his primis.

Exptm Dilemmatis.



*est, si deformem habebit crucem quod miserandum. E. nulla prorsus ducenda est uxor, quia exinde mala & miseria proveniunt. Sed datur medium seu tertium aliquod inter summè formosam & deformem. Sunt enim plurimæ virgines quæ modico, & non summè pulchro vel summè abjecto corpore sunt præditæ. Crell. part. commun. Logic. lib. 3. cap. 24. Regius Disputat. Logic. lib. 4. probl. 9. Gregor. Horst. Institut. Logic. lib. I. tract. 4. cap. 17.*

### *Theorema Quintum.*

Syllogismus hypotheticus est argumentatio imperfecta, in qua loco majoris propositionis aliqua composita ponitur, loco verò minoris, pars una propositionis majoris subsumitur, ex qua altera majoris propositionis pars tanquam conclusio, infertur.

*I. Tractamus ultimo loco Syllogismum hypotheticum, qui improprie Syllogismi nomine insignitur, quia non syllogismus, sed saltem syllogismi proprietates est. Est deinde hac argumentationis species propterea imperfecta, quia ex pluribus quam duabus propositionibus conclusionem infert, nec ad leges & modos in superioribus traditos revocari potest. Non tamen propterea eam rejiciendam esse argumentari licet, quia summi & præstantissimi philosophi hac argumentandi formula usi sunt, & adhuc utuntur. Exemplum autem hujus argumentationis exhibemus tale: Si emisisti, debes pretium, sed Emisisti. Ergo debes pretium. Hic loco majoris propositionis ponitur propositio conjuncta, id est duarum propositiones per particulam aliquam conjunctionis copulata, quarum una, quæ in definitione syllogismi hujus, pars majoris propositionis*



sitionis constituitur, minoris propositionis vicem sustinet, atq; sic altera propositionum in majori propositione proposita, tanquam conclusio insertur.

II. Dividitur deinde syllogismus hypotheticus in conditionalem, copulativum, & disjunctivum. Conditionalis syllogismus definitur, cujus major propositio ex duabus propositionibus per particulam conjunctionis conditionalem conjunctis, conflata est: ut, Si Asinus volat, habet pennas. Atqui Asinus volat. E. Asinus habet pennas. Hujus syllogismi major propositio conflata est ex duabus propositionibus beneficio conjunctionis particula conditionalis, & propterea etiam totus syllogismus propter majorem propositionem conditionalem, conditionalis dicitur. Syllogismus copulativus hypotheticus est, qui majorem propositionem negativam ex duabus propositionibus beneficio conjunctionis copulativae constructam habet, ut in sequenti manifestum exemplo: Non est dies, & nox. Est autem dies. Ergo nox non est. Nec movet nos Crellius & alij hanc argumentandi formulam rejicientes, propterea quod ad nullam figuram revocari & reduci possit. Damus enim hoc quod non possit revocari ad aliquam figurarum, non tamen propterea quod rejicienda sit statim concedimus. Potest enim ejusdem usus aliquando esse maximus. Syllogismus hypotheticus disjunctivus est, cujus major ex duabus propositionibus per particulam conjunctivam conjunctis constat, ut quando dico. Aut dies est, aut nox est, sed nox est. Ergo dies non est. Hujus Syllogismi major propositio ex duabus simplicibus est composita, quarum una subsumitur in minore, atq; sic conclusio insertur. Atq; hac de Syllogismis imperfectis enarrasse sufficiat.

#### COROLLARIA.

1. An doctrina imperfectorum Syllogismorum rejicienda? N.
2. An plures quam sex sint Syllogismi imperfecti species? N.
3. An post partem formalem Logices statim agendum de Sophisticis Elenchis? N.
4. An Rami doctrina Syllogistica sit legitima? N.

Syllog. hypotheticus  
triplex est.  
I. Conditionalis.  
Si

II. Copulativus.  
Et,

III. Disjunctivus.  
Aut,



*Ad præclarum & ingenio, & virtute Juvenem*  
Dn. JOANNEM STERENBER-  
GIVM, Neobrandenburgensem, Mega-  
politanum, Respondentem.

EPIGRAMMA.

QVod tua non leviter STERENBERGI, imbuis ora  
DIALECTICIS, & pectora;  
Rem dignam studijsq̄ue tuis facis, atque salubrem,  
Et prædicandam laudibus.  
Dum fructus, etenim decerpis nobilis artis  
In Disputationibus  
Afsiduis: hauris planam Methodumq̄ue docendi,  
Cuto duce, inde HELTBERGIO,  
Discendiq̄ue simul firmandarumq̄ue fidelem  
Tibi rerum, amussim comparas.  
Sis foelix igitur, multos sospesq̄ue per annos;  
Quondam futurus aurea  
Stella jugi es Clarij, generisq̄ue corona paterni;  
Quas nunc honoras impigro  
Conatu Musas (nihil ambige) præmia laudis  
Solvent vicissim debita.

JOANNES STERNBERGIVS;

*ἀναγκαῖον.*

NON ES SEGNIS RVRI: BEAT.  
NON nostro ES SEGNIS RURI, (vox ista Minervæ est)  
Te BEAT hinc læto fors melius clæ statu.

*Benevolentia non fucata ergo apponebam*


M. Florianus Chenoboscus

Franc. Germ.





















306. sect. 20. in hac verba erumpens: Omne quod est, a primo principio, aut à primo principio. Unalia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia corruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis: & natura: nunquam vero corrumpitur: & nunquam immortalitate Deo ipsum donavit.

### Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem, concedere licet. Nam 1. Angelus tantum, & animalia existunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se existunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.

### Theorema III.

Angelus est spiritus, qui per se existit, sed semper extra corpus.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore existere, sed per accidens tamen id fieri posse, concedimus. quando corpora assumere, ut appareant hominibus. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi corpore existere. 359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora non sunt, & natura eorum non est, corporibus reformare, merito per se ab omni corporis unione separantur.

II. Sunt vero Angeli in duplici differentia: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione esse bonus, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur. Quicquid autem à Deo creatum est, bonum est.

A 3



the scale towards document